

4. *Gloriae*, respectu electorum.
5. *Ignominiae*, respectu damnatorum, de priori nos agimus.
2. *Integritatem non simplicem*, sed *multiplicem* intelligo. Aggregatus est status integritatis, & comprehendit in se integritatem mentis, voluntatis, motuum appetitus, corporis, potestatis & dominii in creaturas, societatis humanæ, voluptatis in Paradiso, felicitatis temporalis & æternæ.
Vocatur etiam status *innocentiae*.
3. *Innocentia*, quæ æquipollere dicitur integritati non est concipienda *infantilis*, sed *virilis*. Aliqui priorem intelligunt.
4. *Innocentia* dicitur vel *absolutè*, vel *comparatè*. Prior est, quando quis penitus caret culpâ; posterior est, quando quis non *omni*, tamen *tali* & *tantâ* caret culpâ. Protoplasti priori modô fuerunt innocentes. Infantes posteriori modô dicuntur.
5. *Innocentia* hæc non est nomen *defectus* vel *carentiae*, uti infantes dicuntur, qui careant notitiâ, sed est nomen *perfectionis* & *justitiae*.
6. Status *innocentiae* hæc sensu demum æquipollet statui integritatis.

III. Prima primorum.

1. Ad excludendum statum (hôc) priorem, qualis fingitur esse *purorum natum* *lum*.
2. Pura naturalia vocantur non *positivè*, sed *negativè*. Priori modô puritas est synonymum Sanctitatis; posteriori modô excluditur id, quod naturæ est superadditum.
3. Titulus puritatis non est nomen *perfectionis*, sed *imperfectionis*, formaliter enim indicat carentiam. Titulum *merorum naturalium* præferunt hodiè novatores puris naturalibus.
4. Puritas illa non excludit tantum *malitiam*, sed etiam omnem *bonitatem*.
5. Malitia tamen cum duplex sit alia *naturalis*, alia *moralis*; Prior est imperfectio adhærens naturæ, posterior est, quando quis contra mores peccat, ubi vitium est in moralitate actuum agentis naturalis.
6. Excludunt pura naturalia, non malitiam *naturalem*, sed *moralem*.
7. Etiamsi non concedant adversarii, tamen etiam pura naturalia malitiam moralem includunt. Nam ad pura naturalia pertinet pugna appetitus sensitivi cum ratione; Nunc illa pugna non potest non vocari